

Idem auctor testatur, consuetudinem obtinuisse, ut penitentes non lento ignis supplicio vivi consumantur, sed quibusdam locis laqueo ad palum suffocentur; alibi, & quidem hodie frequentius, gladio feruntur, ac demum cadaver igne cremandum rogo injicitur, prout ego ipse spectavi in Neoburgensi Palatinatu una vice quatuordecim sic puniri.

Objici possent, latrones, qui minus deliquerunt, acerbis puniri. Sed responder citatus auctor, esse disparitatem, quia in latronibus non est tantum desperationis periculum, nec facile quifquam reperitur, qui inter tota supplicium sibi complacet in latrocinii perpetratis. In maleficos demon plus juris pretendit, & plus habet potestatis ad agendum in desperationem, vel ad pristinum obsequium. Fortassis & haec addi ratio possent, quod longe difficilius impetretur seria penitentia a maleficis, quam a latronibus, & ideo penitentes merentur plus misericordiae & clementiae.

434. Dubitatum est I. Quid agendum cum impuberibus, qui a parentibus vel aliis ducti, magicas artes callent, & exercent, prout ex indubitatis relationibus habetur. Audivi, alicubi tales fuisse capite plexos, etiam in ea aetate, quae necdum est rationis capax, & quidem inter ludendum cum carnifice, lusu quo solet quis oculis obvelatis quærere socios. & hoc ideo factum esse, quod experientia doceat, tales nunquam ad frugem redire. Mihi semper visum est indubitatum, hoc non licere, quia nunquam licitum est innocentem dicitur occidere, de quo plura dixi *so. 1. de Jure priv.* Quare cum talibus omnino observanda est doctrina quam ex Sforza, Oddo, & Binsfeldio tradit Ferdm. VVaizeneg. n. 196. & seq. Si infantes a parentibus vel aliis in servitute diabolicam redacti fuerint, quod saepius accidit, cum in tales delictum formale non cadat, hoc ipso puniri non possunt. Sin infans qualemqualem rationis usum habet, attamen tantò minor est ejus dolus, quanto minorem habet legis naturalis ac divinae meritum: quae ratione ejus doli vix in foro externo ratio habetur. Nunquam igitur infans ultimo, vel alio graviore supplicio Jure plectitur. paternè tamen feruè vel aliis modis emendari potest, atque in loco tuto tamdiu detineri, donec fidei Christianae praeceptis probe instruat. Instruatus non sibi statim relinquendus est, sed honestis familiis tamdiu addicendus, donec ad firmam aetatem & constans animi Judicium perveniat.

Impubes doli capaces, durius quidem quam infantes emendari poterunt, ultimo tamen supplicio non sunt mulcandi, nisi ex gravissima causa, & Principe consulto. Eadem igitur ratione pubertati proximi, sicut infantes,

in fidei Christianae praeceptis ad pietatem, & ad cognitionem peccatorum instruendi sunt, atque in ea schola usque ad annum 16. retinendi. Quod si post omnem diligentiam adhibitam nulla correctionis appareant argumenta, sed in servitute demonis severissima persistant, supplicium de illis non immetitò sumitur. Sed neque semper decimus sextus annus expectandus est, nisi, qui jam puberes carcerati sunt, in ipsa infantia demonis imperio fuerint subiecti sine sua culpa; & ita eorum ratio peccatorum tenebris obscurata sit, ut suismet viribus, vel aliorum disciplinâ non possint opinionem perverfam ante aetatem aliquam maturiorem agnoscere, & deponere.

435. Dubitatum est II. Quâ ratione procedendum cum Clericis, Monachis, & Monialibus maleficis, & de Apostasia, nefando coitum cum diabolo, homicidijs per maleficium commissis convictis vel confessis. &c. Omisiss Juris Canonici antiqui penis, quae in defectu ordinem ex utriusque traduntur brachio saeculari, ut tradit Abbas in *cap. assi Clerici. de Judiciis*: nisi manifesta penitentia signa apparent: v.g. si sponte & animo sincero ac penitente se accusent, faterenturque se quibuscumque penis dignos esse, seseque promptos ostenderent ad satisfaciendum Deo quocumque supplicio: quo casu putat Delrius & VVaizenegger. reos, post actualem degradationem ab Episcopo ad perpetuos Ecclesiasticae curiae carceres condemnari posse, si nullum ex hac clementia Reipublicae periculum imminet, nec singularis aliqua causa suadeat contrarium.

436. Dubitatum est III. An hodie bona maleficorum sint confiscanda. Negativa defendit Fachineus *lib. 9. cap. 87.* sub hac conditione, si existant descendentes vel ascendentes, usque ad tertium gradum, secundum Novell. 134. §. ult. in qua Justinianus penam confiscationis sustulit, excepto crimine laesae Majestatis. ibi. [ sancimus, eos qui in criminibus accusantur, in quibus leges mortem aut proscriptiōnem definiunt; si convincantur, aut condemnentur, eorum substantias non fieri lucrum Judicibus, aut eorum officis, sed neque secundum veteres leges fisco eas applicari: sed si quidem habeant descendentes, & ascendentes usque ad tertium gradum eos habere. In Majestatis vero crimine condemnatis, veteres leges servari jubemus.] Ex hac Novella constat sublatam esse confiscationis penam, excepto Majestatis crimine: atqui Maleficium formaliter & per se spectatum, non est crimen laesae Majestatis. Ergo &c.

Ego tamen hoc argumento non moveor, ut à sen-

## Majestatis Laesae Crimen.

## SUMMARIUM.

- Quid de hoc delicto statutum sit lege Jul. Majest. 438.  
 Quid hic nomine Majestatis veniat. 439.  
 Majestas Imperatoria unde habeat originem. eod.  
 Definitio Majestatis in abstracto. eod.  
 Kelucet Majestas maxime in exercitio Regalium Majorum, tanquam proprietatum. 440.  
 Quando Rex Romanorum habeat Majestatem 441.  
 Contra Electores Imperii committitur crimen laesae Majest. 442.  
 Quid de alijs Principibus, Statibus Imperij. 443.  
 Intellectus legis §. C. ad leg. Jul. Majest. circa Consiliarios. 444. & seq.  
 A quonam hoc crimen committi possit. 447.  
 An Clerici possint committere crimen laesae Majest. 448.  
 An committat Bannitus resistens suo Principi: item subditus solum ratione originis. 449.  
 Quibus modis hoc crimen perpetretur. 452.  
 An Principi maledicens committat hoc crimen. 453.  
 Poena eundem falsas monetæ. 455.  
 Tres modi committendi crimen falsationis monetæ. 456.  
 Poena falsantium monetam in materia. 457.  
 Quidsi quis in Imperio falsaverit materiam monetæ extraneæ. 458.  
 Quidsi quis argentum auro tingat, & ut auream expendat. 459.  
 Quidsi ab alio falsatam sibi appropriet, ut expendat. 460.  
 Quomodo puniendus, in cuius domo cusa est monetæ. 461.  
 Quibus modis committatur hoc crimen in falsatione formæ. 462. & seq.  
 An puniendus, qui monetam auream radit, relicto tamen justo pondere. 463.  
 An puniendus, qui solam argentam radit. 464.  
 An puniatur in hoc crimine Laesae Majest. solus eductus. 466.  
 Quomodo puniatur crimen laesae Majestatis commissum in personam Principis, aut ejus Consiliarios. 467. & seq.  
 Quomodo puniatur recipiens hostem fugientem. 468.  
 An bona ipso Jure fisco cedant à die commissi delicti. 469.  
 An existantia extra territorium cedant fisco. 470.  
 An ab hac confiscatione sint aliqua bona excepta. eod.  
 Filii praedellium omni hereditaria successione, & testamenti solutione privantur. 471.

An hoc

An hac potestate teneantur etiam filii ante delictum nati. 472. & seq.  
 An hereditas huiusmodi fisco cedant, vel propinquioribus. 474.  
 An etiam excludantur à successione filia & nepotes. 475.  
 An comprehendantur etiam emancipati. 476.  
 An filii matris perduellis. 477.  
 Specialia huius Criminis à communibus principiis exorbitantia. 478. & seqq.

438. DE Crimine læsæ Majestatis extant tituli in Digestis & Codice. Ad leg. Jul. Majest. Et in Inst. de publicis Judiciis §. 3. ubi dicitur, quod Lex Julia Majestatis, suum vigorem extendat in eos, qui contra Imperatorem, vel Republicam aliquid moliti sunt. Cujus pena animæ amissionem sustinet, & memoria Rei etiam post mortem damnatur. In hoc crimine multa esse specialia, ob ejus speciale atrocitatem, quatenus in se continet species plurium gravissimorum criminum, ut prodicionis, particidii, patebit ex dicendis. Porro, hæc lex Julia est tratitica ex lege lata à Cornelio Sylla Dictatore, quam postea Julius Cæsar innovavit, quamvis etiam hæc quoad penam in ea statutam, nempe interdictionis Aquæ & Ignis, antiquata est, ut videbimus.

439. QUÆRITUR I. Quid hoc loco Majestatis nomine veniat, cujus læsione hoc crimen committitur. Catholici scriptores rectè quadruplicem assignant, nempe Pontificiam, Imperatoriam, Regiam, & Populi Romani, quo titulo hodie veniunt Republicæ Superiorem non agnoscetes. Quidquid contra torrentem nitatur Harpprecht, nulli Regi, nulli Republicæ, sed soli Imperatori tribuens hanc prerogativam, ut contra ejus Majestatem committi possit crimen læsæ Majestatis. Inter has Pontificiam esse cæteris omnibus Superiorem, non solum Gigas & Farinacius (prout ineptit Harpprecht) sed totus Orbis Christianus, hæreticis & schismaticis exceptis, contestatur. Et dum carpit Farinacium dictus auctor, quod hanc Superioritatem probet testibus domesticis, nempe Decretalibus Summorum Pontificum, non minus ridiculum est, quam si quis Harpprechtum carperet, quasi utatur domesticis testibus, quando Cæsaream Majestatem cæteris Superiorem probat ex legibus Cæsareis.

Majestas Imperatoria habet Originem à Populo Romano, penes quem erat Majestas, dicente Tullio : *Majestas est magnitudo quadam Populi Romani, in ejus potestate ac Jure retinendo, veriturque in Imperio, atque omni populi Romani dignitate.* donec ab eodem populo omne Jus seu Imperium & potestas, adeoque Majestas lege

Regi in Imperatorem privatè translatus est, ut dicitur §. 6. Inst. de J. N. G. & C.

Definitur Majestas in abstracto : *Summa ac perpetua, legibus soluta potestas* : hoc est, omnia gubernandi & administrandi per se vel per alios, quæ ad Republicæ felicitatem pertinent tam conservandam, quam promovendam. Primum dicitur *Summa*, adeoque nullam humanam potestatem supra se agnoscens, sed illam solum quæ Deo propria est, quam etiam illius in terris Vicarius repræsentat, in illa Gubernatione, quam Christus D. Petro, & ejusque Successoribus commisit dicens : *Pasce oves meas.* Jo. 21. prout ipsi Imperatores & Reges Catholici, necnon Republicæ liberæ, ringentibus licet Hæreticis, agnoscunt. Secundo dicitur : *Perpetua*, quia particulâ excluduntur illi, quibus administratio Imperii non nisi ad tempus competit, quales olim erant Dictatores, & hodie, si Carpozio credimus, (contrarium asserente Gilhusio hic n. 2.) sunt Vicarii Imperii duo Electores, quibus non competit Majestas, quod intelligendum, præcisè ratione Vicariatus tempore vacantis Imperii nam an illis aliunde competat tanquam Electoribus vel Principibus, esto sint Inferiores, infra videbimus.

Dicitur III. *Legibus soluta*, quæ tamen particula posset omitti, quia importatur in primo requisito, quod sit summa potestas, quæ ipso nullius Superioris legibus tenetur : nec par pari, & nemo sibi ipsi legem obligatoriam ferre potest, ut ostensum tract. de Legibus.

440. Relucet autem hæc Majestas, eadem auctore, maxime, in Exercitio Regalium Majorum sibi debitorum, tanquam proprietati ipsius Majestatis, & non sunt meta præmia anticipata meritorum subsecutorum in gubernatione, Unde illud est brocardicum, hæc reservata ita officibus Imperatoris adherere, ut contra ea nullo tempore præscribi possit. Quodsi aliquis Inferior Princeps vel Respublica inferior habet Regalia Majora, ea non competunt jure proprio, sed Superioris beneficio vel conviviunt, & solum quoad exercitium, ita ut Superior illa per inferiorem cui concessa sunt, exercere videatur c. 14. de præbend. in 6. ibi. [Nos igitur attendentes, quod est memorato Episcopo prædictam concessimus potestatem, penes nos tamen nihilominus remansit major, licet eadem potestas etiam in prædictis, propter quod nostra, qui eandem præoccupavimus potestatem, potior debet esse conditio &c.] Et quidem in ipsa concessione solet hujusmodi dependentia indicari. Sic enim (ut refert Carolus Sigonius lib. 8. hist. Ital.) Henricus II. cum Episcopo Patavino Jus signande Monetæ largiretur, addidit, ut in una parte numorum nomen & Imago Imperatoris, in altera figura

urbis

urbis exprimeretur, ad demonsttrandum, quod nomine Imperatoris hoc Regale exerceretur.

441. Dubitatum fuit, an Rex Romanorum post Electionem statim, ante coronationem & confirmationem à Summo Pontifice faciendam, hæc suprema Majestate gaudeat. Et quidem, si superflite adhuc & consentiente Imperatore eligatur, ita ut ei defuncto in Imperio succedat, in talem non committi crimen læsæ Majestatis, nec hoc turdè asseri posse, tradit Carpozio p. 1. q. 41. de quo disputant Juris Publici Interpretes, De Electo verò, & post Imperatoris mortem existente, sic habetur in Aurea Bulla. tit. 2. §. 5. & quia. [Et quia de antiqua, approbata & laudabili consuetudine inconulse, quod subscribitur, semper hæc tenus existit constitutum. Ideoque & nos statuimus, & de Imperiali decernimus amplitudine potestatis, quod is, qui modo præmissis in Regem Romanorum electus fuerit, peractâ statim electione hujusmodi, priusquam in aliquibus causis aliis, sive negotiis, virtute Sacri Imperii administret, omnibus & singulis Principibus, Electoribus Ecclesiasticis & Secularibus, qui propinquiora Sacri Imperii membra esse noscuntur, omnia ipsorum privilegia, literas, Jura, libertates, concessionem, antiquas consuetudines, & etiam dignitates, & quidquid ipsi ab Imperio usque in diem electionis suæ obtinuerunt, & possederunt, absque dilatione & contradictione confirmare & approbare debet per suas literas & sigilla, ipsisque præmissa omnia innovare, postquam Imperialibus Infulis fuerit coronatus.] Itaque contra talem committi crimen læsæ Majestatis, debet esse extra controversiam, verè enim est *Imperator electus*, etsi necdum unctus & coronatus, & jam exercet potestatem supremam. Sed hæc ad Jus Publicum spectant.

442. Contra Electores Imperii etiam committitur crimen læsæ Majestatis, ex speciali dispositione Aureæ Bullæ, tit. 24. illis verbis : *Italis tanquam reus læsæ Majestatis gladio puniatur, & omnia ejus bona nostro fisco cedant.* Et hoc est unum ex Privilegiis, quibus Electores gaudent præ aliis Imperii Principibus. Cujusmodi enumerat Carpozio n. 61. nempe, quod singuli Electores Camere Imperialis Assessorum præsentent. Licet reliqui Ordines conjunctim nomine Circulorum suorum id faciant, in quibus plures sunt Principes & alii Status cum iis conjuncti. Ord. Cam. p. 1. tit. 1. Item quod in liberis Electorum tutela anno decimo octavo finiatur, tit. 7. Aur. Bull. item quod pro investitura nihil ab Electoribus numeretur, quotiescunque Feudum ab Imperatore recognoscunt. tit. 29. Aur. Bull. & si que sunt alia.

443. Quoad reliquos Principes, Comi-

tes, Barones, atque Status Imperii, si quis forsitan eos offendat, (scribit Carpozio) non perpetrari crimen læsæ Majestatis, ex ante dictis sequi videtur, & maxime ex eo, quod aliquum malè solum Electorum mentio facta est. Verum, alii apud eundem n. 72. universim de Principibus Superiorem agnoscitibus concedunt, contra illos committi crimen læsæ Majestatis, & ita consuetudinem habere dicit Paulus Caltrens. apud Julium Clarum n. 3. non dissentientem. Et sanè de Statibus Imperii id disertè affirmat Carpozio, (quod prius n. 66. negasse videbatur) per rationem in lege §. C. h. t. fundatam, quod hodie Status Imperii non solum in Comitibus sint Cæsaris Consiliarii, sed etiam in consuetum potestatis adfiscantur. Summa enim, inquit, potestas Imperii in Comitibus in duos Semifiles distribuitur, quorum unum Cæsar, reliquum Ordines universi habent, adeoque Status Imperii conjunctim tantum potestatis obtinent in Comitibus, quantum ipse Imperator. Sed de hoc puncto prolixè differens videatur citatus Auctor, qui tandem refertur, in hos non nisi ut conjunctim consideratos, & quatenus illorum offensa est offensa totius Imperii & ipsius Cæsaris, committi crimen læsæ Majestatis, non verò, ut sunt singulares Possessores & Domini suarum Provinciarum.

444. QUÆRITUR II. Quomodo sit intelligenda lex §. C. h. t. dum de Consiliariis loquitur, & in eos crimen læsæ Majestatis committi statuit, & sic habet. [Quisquis cum militibus vel privatis vel barbaris selestam injerit factionem, aut factionis ipsius suscepit sacramentum, vel dederit de nece etiam virorum Illustrium, qui consilio & consistorio nostro interfunt, Senatorum etiam (nam & ipsi pars corporis nostri sunt) vel cujuslibet postremò qui nobis militat, cogitaverit eadem enim severitate voluntatem selearis, quæ effectum puniri Jura voluerunt) ipse quidem, upote Majestatis reus, gladio feriatur, bonis ejus omnibus fisco addictus.]

Prima interpretatio est, ad hoc duo requiri. Primum, ut Consiliarii, Senatores ac Milites, in quorum necem conspiratur, apud Principem in ejus aula commorentur, prout expressè dicitur in adducto textu. Etia tenent plures, inter quos est Julius Clarus & Antonius Perez, & à fortiori Fachineus l. 9. c. 32. Secundum, ut reus de nece eorundem cogitet studio & animo offendendi Principem. Ita cum aliis Menochius, & expressè Ant. Perez, sic loquens. Dicendum itaque, non statim qui Consiliarium Principis offendit, crimen committere Majestatis, sed cum quid in eum odio Principis committitur, eoque fine, ut Reipublicæ tranquillitas turbetur. Non etiam si occasione litis private

quid

quid fiat. quamvis enim dicta lex non distinguit, ratio tamen & gravitas pena ac ipsa verborum proprietates hoc suggerit discrimen. Ita Perez.

Altera Interpretatio est, neutrum horum requiri, sed hoc sufficere, ut quis consiliis suis Imperatorem juvet, quod quilibet Consiliarius, etiam qui in aula Caesaris non commoratur, vocatus facere potest. Ita in terminis Carpovius. n. 57. & ante eum Harpprecht n. 17. & seq. ac Bocerus.

445. Mihi prior sententia magis arridet, vel ideo maximè, quia in secunda sententia fit nimia extensio, contra communem sensum: videmus enim hodie tam multis concedi titulum Consilii Principum, ut incredibile sit, offensam talium statim esse crimen læsæ Majestatis, nec unquam audivi hoc in praxi observari. Adducit quidem Carpovius præjudicium quoddam Scabinorum, verum si attentè legatur, conspiratio facta est in aliquem Ducem, ac Caesaris Vicarium perpetuum Silesiæ Superioris & Inferioris, ac proinde qui moraliter censebatur in Aula Caesaris (ut lex requirit) existisse, dum in eo loco sedem habuit, ubi Vicariatu functus est, & quia illa conspiratio facta est cum perturbatione Reipublicæ: & insuper additum est in sententia. *ob alia etiam commissa multiplicia notoria delicta.* ex illo igitur præjudicio nihil penitus colligi potest pro sententia Carpovii. Deinde, quia hoc ipsum tandem extendendum esset ad quemvis militem Caesaris ex privato odio offensum, quia quod de consiliariis dicitur, etiam de militibus in lege dicitur. Denique quia nullà efficaci ratione fit hæc extensio. Ad id quod lex non expressè requirit odium Principis seu Caesaris, jam cum Perez responsum est. Præsentia in aula expressè requiritur, & tamen adversarii dicunt eam non requiri, ergo illi potius textui adversantur.

446. Obijciunt. Ratio in lege allata requæ procedit in illis, qui non versantur in aula, & qui privati odio offenduntur. nempe: quia sunt pars corporis Imperatoris. *g.* Consiliarios esse partem Corporis moralem, & ex illo genere Partium, quæ aliquando sunt tantum pars remotè, aliquando pars proximè, & in actu secundo. hujusmodi pars adificiunt sunt fenestra, quæ tunc solum sunt pars proximè & in actu secundo, quando sunt partem annexæ. Imò Consiliarii in suo individuo spectati, ita sunt pars, ut tamen tali parte remotè corpus non evadat imperfectum & defectuosum: nec enim illud corpus morale est defectuosum ex eo, quod quandoque plures aliquando pauciores habeat consiliarios: cujusmodi partes sunt aliquæ vestimentorum, quibus absentibus non propterea

dicitur homo defectuosè vestitus, esto quando actu sunt in corpore, sint verè partes vestimenti, & hominis vestiti quæ talis. Itaque tunc solum ex legis intentione committitur crimen læsæ Majestatis in offensa Consilii, quando Consiliarius lædit dum actu præstat officium, & fungitur proximè munere partis, hoc est, dum est præsens Imperatori, & continuò (non physicè sed moraliter) occupatur in functionibus Consilii. & quando offensa eò tendit, ut moraliter censeatur redundare in Caesarem, quod non semper fit, quando talis offenditur & injuriosè tractatur: alioquin qui aliquem gaudentem consilii titulo, qui fortè nuper Doctoris laureâ donatus est, infamaret, vel cum eo rixas injuriosas exerceret, penâ gladii puniendus esset, quod nescio an rationabiliter dici possit.

447. Quæritur III. A quomodo hoc crimen læsæ Majestatis committi possit. Bajardus in Jul. Clarum, secutus Beronem, docet, posse committi etiam à non subdito, nempe quando quis lædit honorem Imperatoris aut Principis. Verum, hæc sententia ab omnibus aliis rejicitur, & universaliter tenendum est, non posse hoc crimen committi nisi à subdito. Colligitur ex Clementina *Pastoralis. de sens. & rejudicata.* ibi post medium. [Rursus non est silentio relinquendum, quod ipse Rex noster & Ecclesiæ Romanæ ratione regni prædicti notoriè subditus homoque ligus & vasallus, ac in eodem regno, non NB. ut præmittitur in Imperio certum, continentium, & notorium suum habens domicilium, ac originem inde trahens Imperatori eo modo non subditus, quod in eum crimen læsæ Majestatis commiserit.] Ex quo textu inserti Julius Clarus n. 6. quod licet quis aliquo particulari Jure, puta Vasalli vel Delicti, efficiatur de foro alicujus Principis, si tamen ratione originis vel domicilii ei non sit subditus, non dicitur committere contra eum crimen læsæ Majestatis. Quod dicit Julius Clarius de Vasallo ratione feudi præcisè subdito, quod non committit crimen læsæ Majestatis, est communiter receptum, & continetur in dicta Clementina, ut mirum sit Menochium *conf. 99. n. 99. & seqq.* tenuisse, quod Imperatoris Vasallus, licet ejus subditus non sit, offendendo tamen Imperatorem crimen læsæ Majestatis committat, quoad privationem feudi quod ab Imperatore possidet: quod fallum esse etiam ex eo convincitur, nam feudi amissio non est pœna criminis læsæ Majestatis, sed omnium bonorum confiscatio, ut dicitur. Illud tamen quod Clarus dixit de subdito ratione delicti, quod inquam non sufficit ad committendum crimen læsæ Majestatis, non caret dubitatione: & inventio Perezium ita scribentem n. 8. h. t. [Potest tamen limitari in non subdito, qui

dum

dum in alterius Principis territorio versatur, ibi aliquid hostile contra illum machinatur, nam talis, quamvis peregrinus sit, existens tamen in isto territorio, ibique delinquens, ejus forum sortitur, & secundum leges loci punitur.] Ita ille.

448. Solet hic etiam controverti, an Clerici, qui alioquin ratione Originis vel Domicilii sunt Imperatori subditi, ratione Clericatus ita fiant non subditi, ut non possint committere crimen læsæ Majestatis: quod quidem de Jure affirmandum putat Clarus & quidam alii, sed de Consuetudine aliud esse. Ceterum, etiam de Jure negandum tenet Abbas, in *cap. at si Clerici. pr. de Judiciis.* quem citat Decianus l. 7. c. 8. & rationem reddunt. Licet enim Clericus sit exemptus à speciali Jurisdictione secularis Principis, non propterea definit esse de districtu aut provincia sui Principis. Et quamvis ipse Decianus putet de Jure aliud esse dicendum, de consuetudine tamen testatur, non servari, & se vidisse præbyterum quandam, qui subditus Illustrissimorum Venetorum prodidit oppidum Marani hostibus, pede suspensum fuisse.

449. De eo etiam dubitatum est, an bannitus si resistat suo Principi, cujus hostis factus est, dicatur committere rebellionem. item de eo qui solum est subditus ratione originis, & de utroque affirmant Boslius & Decianus, qui quoad primum dicit esse ipsam veritatem, sed veritatis fundamentum non asserit.

450. Dubium difficilius est, an, & quomodo possit aliqua Universitas vel Civitas committere crimen læsæ Majestatis. *g.* 1. Possit committere, quia certum est posse civitatem delinquere pluribus modis in suum Principem, & quidem illis modis, quibus paulò post dicemus committi crimen Majestatis læsæ, & propter hoc crimen leguntur Carthago, Bononia & Brixia aratrum esse passæ. *g.* 2. Certum etiam est, saltem tunc committi, quando consueta forma convocandi, vocesque & suffragia colligendi observata est. Quamvis tunc non veniant puniendi illi qui contradiixerunt, aut nullum suffragium dederunt, nec eorum nomine crimen commissum est. Sed an hæc solennis forma requiratur, nec sufficiat, si major pars ipso facto cooperata sit crimini, non est ita certum. Aretinus *Consil. 164.* defendit olim communionem Florentinam ab hoc crimine occidendo Archiepiscopum & captivando Cardinalem, quia id non erat factum præcedente tractatu & communi consilio. Alii tamen ita distinguunt. Vel major pars fecit aliquid nomine Universitatis, & tunc, etiam non precedente deliberatione & consilio, tenetur Universitas: aut nil exprimitur quo nomine fiat, & tunc præsumitur nomine U-

niversitatis fecisse. aut exprimitur, se nomine proprio facere, & tunc Universitas non tenebitur. Verum, hæc distinctionem improbat Decianus per rationem bonam, quia tunc solum major pars præjudicat minori, quando actus factus à majori parte, factus est secundum formam solitam. *c. cum omnes, de constit.* quando ergo forma non est servata, poterit quilibet de Universitate actum tanquam nulliter factum impug-nare. Hoc tamen iterum limitat ipse Decianus: quod si, etiam non servata forma, nec convocazione facta, commissum esset crimen habens causam successivam & continuam, v. g. recipiendo hostes, & illis obediendo, tunc censeatur tale delictum à communitate ratificatum. Addit tandem, quod si Magister principalis vel præfidentis etiam nomine Universitatis hoc crimen committerent, non tamen ideo tenetur Universitas, quod non credo, si reverà ex consensu, adeoque reverà nomine Universitatis crimen commissum esset.

451. Denique in aurea Bulla *tit. de conspirat.* constitutum est, ut Civitates & Universitates in hoc crimine incurrentes, censum librarum auri, & amissionis libertatum & privilegiorum Imperialium pœnam incurrant. Ad quam tamen summam non sunt illi collectandi, qui non consenserunt.

452. Quæritur IV. Quibus modis hoc crimen perpetretur. Ad hoc quæstionem respondet Bajardus in Jul. Clar. qui quadraginta quinque modos recenset. Attingam brevissimè. 1. Assumendo arma & movendo bellum contra suum Principem. 2. Offendendo eos qui fuerunt a securati per Principem, v. g. per saluum conductum. 3. Dando consilium dolo malo adversus Principem, vel Rempub. 4. Interficiendo obfides Principis sine ejus jussu. 5. Convocando homines telis vel lapidibus in urbe adversus Principem, ut occupentur loca vel templa. 6. Convocando certum hominum conventum ad seditionem civitatis. 7. Occidendo Magistratum habentem ab Imperatore vel Rege merum Imperium, & hoc in odium Principis. 8. Sumendo arma contra Rempub. (sed hæc est repetitio primi). 9. Mittendo literas vel nuntium, vel signum dando hostibus. 10. Sollicitando vel concitando milites ad rebellionem. 11. Recedendo per fugam ante 70. dies statutos pro syndicato. 12. Deserendo exercitum. 13. Fugiendo ad hostem. 14. Scribendo fallum in tabulis publicis seu libris Principis. 15. Concitando hostes in damnum Principis. 16. Ferendo oppem hosti. 17. Cedendo in pugna, & sic dando causam, ut hostis vinceret. 18. Tenendo sine licentia Fortalitium in consensibus Imperii vel Regni. 19. Tradendo hostibus Castrum sibi

X 2

com.

commissum, vel illud ad petitionem Principis non resignando. 20. Gerendo bellum sine licentia. 21. Eligendo sibi milites de aliis militibus. 22. Comparando exercitum. 23. Nolendo resignare exercitum substituto in generalatu. 24. Deserendo Principem in praelio. 25. Allumendo Magistratum propria auctoritate. 26. Jurando necem Principis. 27. Dando operam; ut exercitus incidat in insidias hostium. 28. Appetendo hosti periculum illis imminens ab exercitu Principis. 29. Dando hostibus commeatum. 30. Dando hostibus mutuum, vel arma vendendo. 31. Amicos Principis reddendo inimicos. 32. Dolo malo faciendo, ut vasallus non obediat Principi. 33. Dolo malo procurando obfides loco pecunie. 34. Eximendo ex carceribus condemnatum de laesa Majestate. 35. Confando statuas Principis. 36. Prodendo aliquam Civitatem, vel ad rebellionem inducendo. 37. Committendo crimen perduellionis. 38. Eligendo Pontificem, priore vivo. 39. Perjurando contra juramentum legitimum. 40. Dicendo se Regem Regni Neapolitani, quod est patrimonium S. Petri. 41. Frangendo pacem intamam a suo Principe cum alio. Hec Bajardus, qui tamen nescio quomodo prætermiserit crimen quod committitur in falsatione monete, & maledictione Principis, de quibus agitur postea: Et quidem de falsatione Monete paulo post fusius dicitur, quia habet aliqua specialia. De priore nunc.

453. Dubitatur, an hodieque reputetur crimen læsæ Majestatis, (ut olim) si quis Principi maledixerit. Affirmat Bocerius, sed rectius alii omnes negant, nisi maledictio contineret verba seditiosa, vel turbulenta exclamations, quibus salus Principis aut reipublicæ periclitaretur. v.g. *Moriatur. Libertas, Libertas.* &c. Probat clarè ex lege un. C. si quis principi maledixerit. [Si quis modestia nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledictio nomina nostra crediderit læsanda, ac temulentia turbulenta obtretractatorum nostrorum fuerit: eum pena nolimus subjugari, neque durum aliquid, nec asperum volumus sustinere: quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab injuria, remittendum. Unde integris omnibus hoc ad nostram scientiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensemus, & utrum prætermitti, an exquiri debeant, censeamus.] Ex quibus ultimis verbis habetur, maledicentis punitionem non permissi Judicibus, qui aliquotum crimen læ-

sæ Majestatis punire possunt, sed reservari Principi, & quidem soli Imperatori, de quo solo loquitur lex. Ergo maledicens alteri alicui Principi habenti Majestatem, potest puniri ab aliis Judicibus, sicut Scabini alem puniverit ultigatione & relegatione.

454. Cætera, quæ ex Bajardo retuli, colliguntur ex aliquot legibus ff. h. t. ubi, quidquid de populo Romano dicitur, hodie in Imperatore & aliis supremis Principibus aut Rebus publicis obtinet, sive de Jure, sive de consuetudine, l. 1. §. 1. [Majestatis autem crimen illud est, quod adversus populum Romanum, vel adversus securitatem ejus committitur, quo tenetur is, cujus operâ dolo malo consilium inritum erit, quo obfides injussu Principis intercederent, quo armati homines cum telis lapidibusve in urbe sint, convenienter adversus rempublicam, locave occupentur, vel templa, quove cætos, conventusve fiat, hominesve ad seditionem convocentur, cujusve operâ, consilio, dolo malo, consilium inritum erit, quo quis magistratus populi Romani, quive Imperium potestatemve habet, occidatur: quove quis contra Rempublicam arma ferat, quive hostibus populi Romani nuntium literasve miserit, signumve dederit, feceritve dolo, quo hostes populi Romani consilio jurentur adversus Rempublicam, quive milites sollicitaverit, concitaveritve, quo seditio, tumultusve adversus Rempublicam fiat. l. 2. Quive de provincia, cum ei successum esset, non discessit, aut qui exercitum deseruit, vel privatus ad hostes profugit, quive sciens falsum conscripsit, vel recitaverit in tabulis publicis: nam & hoc capite primo Majestatis lege enumeratur. l. 3. Lex duodecim tabb. jubet eum, qui hostem concitaverit, quive cibum hosti tradiderit, capite puniri. Lex autem Julia Majest. præcipit eum qui Majestatem publicam læserit, teneri, qualis est ille, qui in bellis cesserit, aut arcem tenuerit, aut castra concesserit. Eadem lege tenetur, & qui injussu Principis bellum gesserit, de quo supra habuerit, exercitum comparaverit, quive cum ei in provincia successum esset, exercitum successori non tradiderit: quive imperium, exercitumve populi Romani deseruerit, quive privatus pro potestate, magistratuvè quid sciens dolo malo gesserit: quive quid eorum, quæ supra scripta sunt, facere curaverit. l. 4. Cujusve dolo malo jurejurando quis adactus est, quo ad versus Rempublicam faciat, cujusve dolo malo exercitus Populi Rom: in insidias deductus, hostibusve proditus erit: factumve dolo malo cujus diceret, quo minus hostes in potestatem populi Romani veniant; cujusve operâ, dolo malo hostes populi Romani commeatu, armis, telis, equis, pecuniâ, aliavè re adjuverunt, utvè ex amicis Populi Romani

mani hostes sint, cujusve dolo malo factum erit, quo Rex externa nationis populo Romano minus obtemperet: cujusve operâ dolo malo factum erit, quo magis obfides pecunia, jumenta hostibus populi Romani dentur adversus Rempublicam. Item qui confessum in judicio reum, & propter hoc in vincula coniectum miserit. Hoc crimine liberatus est a senatu, qui statuas imperatoris reprobatas conscribit. l. 6. Qui statuas, aut imagines Imperatoris jam consecras conscriberint, aliudve quid simile admiserint, leg. Jul. Majest. tenentur. l. 10. Majestatis crimine accusari potest, cujus ope, consilio, dolo malo, provincia vel civitas hostibus prodita est. Præterea (quod Bajardus etiam prætermisit) qui privatum carcerem exeret, in hoc crimen incidit, l. 1. C. de privatis carceribus. quamvis revocari possit ad usum Meri Imperii. ibi. [Nam illud perspicuum est, eos qui hoc criminis genus commiserint, etiam pro veterum legum & constitutionum tenore, tanquam ipsius Majestatis violatores ultimo subjungendos esse supplicio.] Magistratus connivens nec coercens, eidem pena subiacet. ibid. Verum, hodiernis moribus mitior pena infligitur, & ideo in hoc puncto est attendenda locorum consuetudo. Denique l. 2. C. de falsa Moneta habet aliam speciem criminis læsæ Majest. de quo nunc ageatur.

455. Itaque lex 2. cit. sic habet. [Si quis nummos falsâ fufione formaverit, universas ejus facultates fisco nostro præcipimus addici. In monetis enim tantum modo nostris cudenda pecunia studiū frequentari volumus, cujus obnoxii Majestatis crimen committunt, & præmio actoribus proposito, quicumque solidorum adulter poterit reperiri, vel à quocunque fuerit publicatus, illico, omni dilatione summotâ, flammaram exustionibus mancipetur.] Vidique ego Monachii tres tales combusti, duobus prius decapitatis, & tertio strangulato. Quæ exustionis pena dicitur etiam Mediolani, Vercenæ & Ferrariæ observari, teste Menochio. In Gallia dicuntur adulterantes monetam Regis in aqua feventissima & ebulliente suffocari.

456. Et quamvis Damhoderus quinque modos referat committendi hoc crimen falsationis monete, in Ordinatione Criminali tamen tres præcipue modi assignantur. 1. Cudendo falsam monetam, si dolo malo alienum signum monete imponatur. 2. Vitando materiam, aliud scilicet metalli genus admiscendo præstantigri, v.g. cuprum auro, stannum argento. 3. Monetam diminuendo, radendo, mutilando, excoquendo. a. 111. Quibus addi solet quartus modus, nempe cudendo monetam absque jure aut privilegio cudendi. Verum, Carpovius omnes assignabiles modos reducit vel ad Materiam, vel ad Formam.

457. Quando falsatio fit in Materia, non adhibendo debitam & præscriptam materiam, pena illius nempe exustio confirmata est Ord. Crim. a. 111. quam penam etiam patiuntur cudentes solum, & non exponentes, vel qui ab alio fabricatam expendunt, animo alios decipiendi. ibid. Et quia Ordinatio Carolina generaliter loquitur, est intelligenda non solum de falsatoribus Monete Imperialis, sed etiam cujuscunque Principis, habeatis jus cudendi monetam, quia talis moneta, quatenus in Imperio non minus quam Imperialis recipitur, & ideo ejus falsatio non minus noxia esset Imperio, quam falsatio monete Cæsareæ. Sed hæc intelligenda sunt, quando reus in majori moneta falsandâ peccavit, vel in minore quidem, sed aliquamdiu, & sæpius cudendo: nam si tantum semel iterumque, mitiorem penam ultigationis & relegationis dicitur Scabini.

458. Dubitatum est I. An eadem penâ afficiendus sit, qui alicujus extranei Regis monetam falsaret quoad materiam in Imperio. Affirmat Menochius, Bocerius, & quidam alii, nec id est improbabile, quia, ut suppono, talis moneta per Imperium est recepta, & consequenter idem incommodum infertur Imperio. Nilominus Carpovius negat, ex eo potissimum fundamento, quod pena ignis imponatur, quia commissum est crimen læsæ Majestatis. Hæc tamen ratio me parum movet. Nam hæc non est adæquata causa tam atrocis penæ, quia non omne crimen læsæ Majestatis punitur penâ ignis. Deinde Ordinatio Carolina universaliter loquitur, & videtur unice attendi damnum Reipublicæ inferendum, quæ est principalis causa hujus penæ. Unde etiam infertur eadem pena falsantibus monetam inferiorum Principum. Theoricè ergo loquendo mihi Menochii sententia verior videtur, quamvis Scabini penam gladii dicitur.

459. Dubitatum est II. De eo qui monetam v.g. argenteam auro tingit, & pro aurea expendit. Pro probabilis talem mitiore penâ, considerato damno quod intulit Reipublicæ, puniendum esse, quia Carolina, conformiter legi 2. C. h. t. relatæ, loquitur de falsoribus & usuribus, quales non sunt tingtores, & fraus tingtorum facilius deprehenditur.

460. Dubitatum est III. An qui pecunias falsatas ab alio casus sibi appropriat, in eum finem, ut expendendo alios decipiat, eidem exustionis penâ teneatur. Affirmativè, rigore Juris spectato, nam hoc satis clarè dicitur in art. 111. quod tamen non videtur ullo modo extendendum ad eum, qui deceptus eam acquisivit, & deinde sciens esse falsatam expendit: à talibus enim non iminet adeo notabile præjudiciū Reipublicæ, nec tales ita cotoperantur usuribus, quasi

hinc illi cutores cordatiores & proniores fiant, si habent, qui pecunias distrahant. Erit ergo pro tali decepto mitior & arbitraria pena sufficiens: Et forte non aliter solent puniri quam penam, ad quam jure nature tenentur, nempe ut resarciant damnum illatum, nisi forte in maxima quantitate fecissent.

461. Dubitatum est IV. Quomodo puniendus sit, in cujus domo cusa est falsa moneta. *De hoc loqui legem 1. C. de falsa moneta. ibi.* [Domo verò, vel fundo, in quo hæc perpetrata sunt, si dominus in proximo constitutus sit, cujus injuria vel negligentia punienda est, etsi ignoret, fisco vindicetur, nisi dominus ante ignorans, ut primum revertitur, scelus prodiderit perpetratum, tunc enim possessio vel domus ipsius proscriptioem injuriae minime subibit.] Ordinatio Car. art. 111. mitigavit, ut procedat solum in eo, qui scienter monetam adulterinam in sua domo cudi passus est. Et hæc de falsatione quoad Materiam.

462. Quoad falsationem ratione Formæ, imprimis peccat, qui absque privilegio Caesaris (nam inter Imperatoris Regalia numeratur potestas cudi monetam, & alii facultatem concedendi) monetam cudit, ejusque pena est arbitraria, vel in corpore, (non tamen mortis) vel in pecunia. (ut habetur art. 111. sæpe citato.) Non obstat quod debitor materiam, debitumque pondus moneta contineat. Culpa enim in eo consistit, quod talis sibi Regale arrogaverit: & ideo apud Carp. n. 24. Civitati Erfurdeni multa mille Thalerorum Imperialium indicta est.

Secundò, peccat quoad formam, qui signum alienum monetæ imprimi, nempe alterius Principis aut Status habentis privilegium monetandi, non obstante, quod justum pondus & materiam adhibuerit, imò & jus monetandi habuerit. Hujus penam putavit Bocetus esse executionem, si non habuit jus monetandi, sed hoc ex mala intelligentia Carolinæ Ordinationis, ut ostendit Carpozovius, asserens esse ipsius penam arbitrariam, eo quod talis minus delinquat, quam qui sibi jus monetandi proprio signo arrogat. quod mihi dubium est. & ideo magis probo alteram ejusdem rationem, quia nulla lege certa pena est constituta tali fallatori: ergo ad penam arbitrariam recurrendum est, quæ est pena criminis Falsi.

Tertiò, in forma peccat, qui justum monetæ pondus adimit, sive in ipsa fusione vel tunitione, sive postea, radendo vel mutilando, ut habetur eod. art. 111. ubi etiam in talem penam arbitrariam in corpore vel pecunia statuitur, non tamen pena mortis.

463. Circa hoc tamen nascitur pulchrum

dubium, an aliquam penam sit puniendus, qui monetam quidem radit, sed non nisi illam, quæ plus habet ponderis, quam requirunt, relicto justo pondere. Negat Decianus & Alciatus. Affirmant rectius Menochius, Bocerus, Carpozovius. 1. quia jam tollit justum pondus monetæ, nam Carolina Ordinatio per justum pondus non intelligit illud pondus, quod communiter hujusmodi moneta habet, sed quod Princeps illi tribuit cudiendo, & publici Juris fecit, adeoque talis rator jam auferit alienum, hoc est illud, quod Princeps voluit esse usus publici.

Objicit Alciatus 1. Potest impunè aureo non habenti justum pondus, addi quantum deesset. Ergo etiam potest impunè demi, quantum reduktat. Negatur consequentia. Nam in casu antecedentis non usurpat addens rem alienam, sed de suo largitur, & ideo nemini nocet, sed prodest, aliter se res habet in consequente.

Objicit 2. Qui nemini nocet, non est puniendus, nec committit fallum. Negatur suppositum, quod talis nemini nocet, vel præjudicium creet, reverà enim id fit Principe rationabiliter invito, in cujus honorem cedit monetam esse supraordinariam. Hujusmodi rationem trium aureorum punivèrè Scabini carcerè octo dierum.

464. Levius dubium est illud, an soli ratores aureorum nummorum sint puniendi, vel etiam argenteorum. Ratio dubitandi sumitur ex l. 8. ff. ad leg. Corn. de falsis. ubi solum aureorum nummorum fit mentio, et ob hanc rationem Covarruvias existimat, solos ratores auri esse puniendos. Sed, meo iudicio, hoc est nodum querere in scirpo, nã non verba præcise, sed mens & ratio legis est attendenda. et, quidquid sit de illa lege, Ordinatio Carolina loquitur sub termino generali *Monetae*. & ideo Scabini talem ratores quindecim Thalerorum, raturâ faciente 5. Lothi fustigatione puniendum pronuntiarunt.

465. Quartò, peccatur in formæ falsatione, si quis ex majore moneta resoluta, minorem efficiat; cujus ratio est, ne moneta à Principe cusa contra ipsius intentionem intereat & supprimatur, & cum præjudicio Juris monetandi ejus memoria intereat. cujus falsationis pena est arbitraria, constituta eodem art. 111. Carol. Ord. Quin & Magistratus in hoc consentiens, privilegium cudiendæ monetæ amittit. Verùm, hæc ego intelligenda existimo, si de dolo malo, & unius certæ formæ moneta ita transformetur, nam si promiscuè aliquis Princeps alienas monetæ resolvat, ut suam inde conficiat, nihil delicti apparet, & quivis aere suo uti porest, adeoque etiam ad suam monetam conficiendam, si ceteroquin Jure monetandi gaudet, & nisi fallor, hoc habet

habet usus quotidianus. Imò laudandus est, qui monetas non admodum utiles aut perfectas hoc modo resolvit, dummodo Jus monetandi habeat.

Denique in Edicto Monetario Ferdinandi I. resolutio Monetæ, quæ à privatis, dolo malo & in fraudem reipublicæ fieri, & argentum postea ad alios usus applicari consueverat, sub pena ignis fuit prohibita in Recessu Aug. de anno 1559. Sed hujus Constitutionis rigor hodie non observatur, ut testatur Carpozovius. n. 51.

466. Illud etiam in punitione hujus delicti observatur, ut non puniatur ordinariâ ignis penam solus conatus, fortè per accidens impeditus, quemadmodum ceteroquin Crimen læsæ Majestatis in aliis speciebus solet puniri, ut mox dicemus. Atque hæc de falsatione Monetæ. Nunc ad ea quæ ceteris speciebus læsæ Majestatis communia sunt redeamus. Itaque

467. Queritur V. Quenam sit pena læsæ Majestatis. 2. Penam non esse pro omni specie hujus criminis uniformem, quia nec gravitas delictorum est æqualis. Itaque

Dicendum I. Si adversus ipsam Principis personam, vel ejus consiliarios directè in eorum necem conspirando committatur, quod Perduellionis crimen est, Reus penam mortis plectitur. l. 5. pr. C. ad L. Jul. Majest. supra relatâ. in qua quidem ponitur pena gladii. Sed Carpozovius existimat, ibi penam gladii idem esse quod *pena mortis* in genere, sicut Jus gladii dicitur Jus generale vitæ & necis. Hinc perduelles quandoque gladio, quandoque igne, quandoque dissectione in quatuor partes, pro dispositione Statutorum, quæ diversa est, puniuntur. Imò vigore Carol. Ordin. videtur Carpozovio penam auctam esse, eo quod art. 124. constitutum sit, ut Proditores Provinciarum, Urbium, Principum, quorum Jurisdictioni & imperio subjecti sunt, prius prostrati in terram per plateas in locum supplicii raptentur, aut ignitis forcipibus laecerentur, postea primum in quatuor partes scindantur. Atqui Perduellionis crimen gravius est criminis proditionis, ergo & illi potest pena exasperari. Dum hæc scribo, Perduellium Antefignanus in Hungaria nomine Pikaï palo transixus, & alius unco injectus est.

468. Dicendum II. Qui hostem fugientem sciens recipit, deportatione & infamiam puniuntur: relegationis verò & infamiae penam, qui sciens alicubi latentem dissimulat. l. 40. ff. de peccatis. [Metrororum, cum hostem fugientem sciens susceperit, in insulam deportari, Philoctetem, quod occultari eum non ignorans diu dissimulaverit, in insulam relegari placet.] de infamia colligitur ex lege 24. eod. [Eorum qui

relegati vel deportati sunt ex causa Majestatis, statuas detrahendas scire debemus.]

Dicendum III. Rei hujus criminis in gradu primæ conclusionis, insuper puniuntur infamiam liberorum, ut habetur in Aurea Bulla tit. 24.

Dicendum IV. Eorundem perduellium omnia bona, uxore & liberis ad mendicantem redactis, confiscantur. eod. tit. Aurea Bulla. & art. 218. Ordin. Crimin.

469. Dubium tamen est I. An bona ipsa ipso Jure, & ex die commissi delicti, non expectatâ sententiâ, ad fiscum transeant. Respondet Carpozovius, transire quidem ipso Jure, sed non ante sententiam criminis declaratoriam, probat Carpozovius ex lege fin. C. h. t. ubi expressè dicitur: quod convicto Majestatis reo, ejus bona successoribus eripiantur, & fisco vindicentur. Ergo priusquam reus per sententiam declaratur, bona non censentur pertinere ad fiscum. Adde Auream Bullam tit. 24. apud eundem. Imò inspectis Juribus probabilis est, requiri sententiam condemnatoriam, per legem 15. pr. ff. qui & à quibus manusisti. [Quæsitum est, an is qui Majestatis crimine reus factus sit, manumittere possit, quoniam ante damnationem dominus est.] Si dominus est: ergo non amittit dominium ipso Jure ante damnationem. Alienationes tamen interim factæ, imò & solutiones acceptæ irritantur in lege fin. C. h. t. ibi. [Sic & DD. Severus & Antoninus constituerunt, ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare, neque manumittere cum posse: nec ei solvere Jure debitorem &c.] Supponendo igitur, quod dominium retineat reus usque ad sententiam declaratoriam, dicendum est, per talem sententiam alienationes factas & solutiones rescindi, & non ipso facto fuisse nullas, sed solum inefficaces, seu rescindibiles.

470. Dubium est II. An & illa bona cedant fisco Principis læsi, quæ reus habet extra territorium Principis læsi. 2. Negativè, quia bona alibi sita possunt dici publicata, cum lex non se extendat ultra territorium legislatoris: sed nec dominus territorii illi vindicare potest, quia crimen non est adversus eum commissum.

Dubium est 3. An aliqua bona sint excepta, ad quæ se illa confiscatio non extendat. 2. Affirmativè. Nam, ut tradit Ant. Perez n. 15. ea quæ ab innocio adhuc marito, titulo donationis ante nuptias mulier accepit (intelligit Morgengebam, seu Donum matutinale) quasi in præmium pudicitiae, & si quæ pater ante tempus criminis ac reatus in filios emancipatos contulerit, rata esse expressè habetur. in l. 10. §. 1. C. de bonis

bonis proscript. [Si quid etiam in emancipatos liberos ante tempus criminis ac reatus patrem contulisse claruerit, integro iisdem citra iniquitatem releretur.] & de uxore habetur lege 24. *C. de donat. inter virum & uxorem.* [Res uxoris, quæ de donante intercipitur qualibet, vel emptione, vel etiam largitione viri in eam ante reatum Jure pervernerant, damnato ac mortuo ex pœna marito, vel in servilem conditionem ex pœna qualitate deducto, illibatas esse præcipio, nec alieni criminis infortunio adstringi uxorem cum paternis, maternisve ac propriis bonis frui eam integro legum statuto religioſum sit.] Idem dicendum de dote actu numerata. Donatio propter nuptias non nisi post mortem uxoris filio cedit, salva legitima filiarum, non item filiorum. lege 5. §. 5. *C. ad L. J. Majest.* [Uxores sanè prædictorum recuperatâ dote, si in ea conditione fuerint, ut quæ à viris titulo donationis acceperunt, filiis debent reservare, tempore quo usus fructus absumitur, omnia ea filio nostro se relicturas esse cognoscant, quæ juxta legem filiis debebantur, & Falcidia ex his etiam rebus filiabus tantum, non etiam filiis deputata videatur.] Ratio, cur filiabus relinquatur salva legitima ex bonis maternis, non item filiis, ea est, quod à filiabus non sita timenda imitatio exempli paterni, sicut à filiis.

471. Dicendum V. Filii perduellium omni hereditariâ successione, & testamenti factione privantur, & perpetuâ infamiâ notantur. *l. 5. §. 1. C. h. t.* mox referenda. Circa quam

472. Dubium est I. An pœnas in lege 5. *C. ad L. J. M.* fancitas subeant non solum filii post delictum nati, sed etiam ante delictum nati. Lex autem sic habet. §. 1. [Filiis verò ejus, quibus vitam Imperatoriâ specialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, id est hereditarii criminis exempla metuantur) à materna vel avita, omnium etiam proximorum hereditate ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant, sine perpetuâ egestate sordentibus sit & mors solatium, & vita supplicium.] Imprimis aliqui existimant, ut Budæus & Balduinus, hanc severissimam legem esse abrogatam per legem 21. *C. de pœnis.* Sed hujus opinio communiter expoditur, nâ Arcadius & Honorius utriusque legis Auctores, in lege 22. non meminerunt filiarum Rei perduellionis, sed solum aliorum notorum propinquorum, affinium & familiarium: Ergo non est extendenda ad filios, ut legum correctio videretur. Et etiam si hæc lex esset illius prioris correctoria, prior tamen

esset revocata in aurea Bulla, tit. 24. Ad Quæsitum ergo respondendo,

473. Negativam sententiam tenent Cynus & Angelus apud Decianum *lib. 7. c. 41. n. 8.* Quos sequitur Harpprecht n. 67. Sed affirmativa est longè communior, quam post Decianum & alios ab hoc relatos, tuetur Ant. Perez, & nuperimè in hac Ingolstadtensi Universitate, sub præsidio Clarissimi Viri Dominici Bassi, præclare propugnavit Nobilis D. Eugenius Alexander VVetzel, in suis Parergis. Probatur ex ratione legis, quæ legis anima est, & aquè in natis ante, quam post delictum procedit, nempe quod timeantur futuri imitatores paterni delicti. Me insuper movet illa ratio, quia ratio contingit, ut post delictum commissum nascantur rei filii, qui ultimo supplicio afficiuntur: quare si lex hos solos voluisset punire, certè non debuisset ita universaliter loqui, & anam præbere erroris Doctoribus. Deinde Imperator puniit illos filios, quibus dicitur vitam indulgere, cum deberent unâ cum patre de medio tolli. Quod utique dictum videtur de jam natis.

Objicitur lex 2. *C. de libertis & eorum liberis.* Eam esse intelligendam de pœna servitutis, quæ est instar pœnæ capitalis, ac proinde non intelligenda filiis in libertate natis.

474. Dubium est II. An hereditates, quæ filiis rebellium deferendæ essent, & adductâ lege 5. denegantur, sint filio applicandæ, vel potius hereditibus proximioribus, ab intestato in defectum filiorum venientibus. Cynus & Salycetus volunt esse applicandas filio. Communior sententia favet hereditibus proximioribus, & merito, quia in lege nulla fit mentio filii, sicut fit quando est sermo de bonis ipsius perduellis. Ergo non est, cur lex etiam dicatur punire proximiores, à quibus non est cur timeatur imitatio rei perduellis, sicut à filiis. Et sanè cum hæc quæstio sit dubia, rectè & contentancè legi 10. ff. de Jure filii, facit, qui contra filium pronuntiat. Non puto inquit Modestinus, delinquere eum, qui in dubiis quæstionibus contra filium facillè responderit. Ratio ulterior est, quia illa solum cedunt filio, quæ auferuntur ut indignis propriâ culpâ, non alienâ, nam hi potius redduntur incapaces: & ideo mirum non est, quod proximi succedant.

475. Dubium est III. An si ad sint filia, vel nepotes aut pronepotes, etiam sint incapaces successione, adeoque solis lateralibus aut ascendentibus cedant hereditates. *re.* Cum communi sententia contra Covartum. Negativè. Quia licet quandoque nomine filiarum veniant filia & nepotes, at verò id fit in favorem, & improprie, quæ extenso in odiosis non est facienda Jure Canonico tamen, nepotes illius, qui crimen læsæ

læsæ Majestatis in Cardinali commisit, infamiâ notantur, sed hoc est speciale.

476. Dubium est IV. An hæc pœna seu incapacitas filiorum comprehendat tam filios emancipatos, quam sub patria potestate constitutos. Negat Gigas & Decianus. Verius tamen est, omnes indistinctè comprehendi, imò & naturales: quia lex loquitur universaliter, & ratione utitur universali, ut jam supra ponderatum est.

477. Dubium est V. An lex illa comprehendat etiam filios matris perduellis. *re.* Affirmativè. Nam illa particula: *Quisquis* accipitur pro utroque sexu etiam in odiosis, ut pluribus exemplis ostendit Harpprecht n. 81. Et hæc est communior sententia contra Rummelium apud eund. Quamvis vix contingat crimen Perduellionis à femina, verè tamen contingere posse, nimis quam certum est, & defecto commissum esse docent Historiæ.

478. Quæritur VI. Et ultimo, quænam sint singularia seu specialia in hoc crimine læsæ Majestatis, à Jure constituta, & à communibus principis exorbitantia. *re.* Esse plura, adeo ut Bajardus enumeret, 31. Nos sequentia, omittis illis, quæ jam sunt relata.

Primo, circa formam Judicii exercendi, & maxime ubi directè contra Principem aliquid dicitur commissum, potest accusatio vel inquisitio fieri ac procedi summariè & de plano sine strepitu Judicii, prout illi qui Judicio præest, videbitur expedire. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi probationes necessariae possint omitti, aut defensionis legitimæ rejici, sed ut quàm minime differatur perduellionis Judicium, & rei convicti punitio, prout reipublice expedit, acceleretur. Gudel. de Jure Nov. *lib. 5. c. 16.* & communiter omnes DD.

Secundo, Quamvis in aliis delictis Jus accusandi vel inquirendi finiatur annis 20. ut supra dictum, in hoc tamen crimine nullus terminus est positus, ut tradit Gigas, & ex eo Carpzovius n. 9.

497. Tertio, In hoc crimine possunt torqueri personæ alioquin privilegiatæ, ut sunt Minores, Milites, Decuriones, Doctores, & alii, de quibus infra, ut tradunt DD. communiter. Decianus n. 30. Carpz. n. 10.

Quarto, Quilibet ad accusandum admittitur, etiam servus, infamis, miles &c. *l. 7. pr. §. 1. C. 2. ff. ad L. Jul. Majest.* [Famosi, qui Jus accusandi non habent, sine ulla dubitatione admittuntur ad hanc accusationem. Sed & milites, qui causas alias defendere non possunt: nam qui pro pace exstant, magis magisque ad hanc accusationem admittendi sunt. Servi quoque deferentes audiuntur & quidem dominos suos, & liberti patronos.]

Quinto, Creditur socio criminis contra socium, ut cum Afflicto tradit Carpzov. n. 4.

Sexto, Singulares etiam testes in hoc crimine admittuntur, ut iidem tradunt cum Anchorano.

480. Septimo, Non admittitur appellatio pro reo. Decianus. Afflicto. Carpz.

Octavo, Valet lata sententia contra absentem, ut tradit Angel. in *l. absentem. C. de Accusat. Carpz. n. 7.*

Nono, Habitis iudiciis, alioquin in aliis criminibus non sufficientibus, potest inchoari processus à tortura. Carpzov. adducens legem 5. *C. h. t.* ubi ego hoc non lego.

Decimo, Non solum sceleris auctor, sed etiam ministri, imò & filii conficii hoc Judicio tenentur. *l. 5. §. 6. C. h. t.* [Id quod de prædictis, eorumque filiis cavimus, etiam de lateraliibus conficiis, ac ministris, filiisque eorum simili severitate censemus. Sanè si quis ex his in exordio inite factionis studio veræ laudis accensus, in tam prodideri factionem, & præmio & honore à nobis donabitur. Is verò qui usus fuerit factione, vel sero, (incognita tamen adhuc) consiliorum arcana patefecerit, absolutioe tantum ac veniâ dignus habebitur.]

481. Undecimo, In hoc crimine solus conatus ordinariâ pœnâ punitur, quod quidem etiam in quibusdam aliis gravioribus statutum est, sed in aliis consuetudo plerumque contrarium habet. *l. 5. pr. C. h. t.* ibi. *Eadem enim severitate voluntatem sceleris quæ esset in pœniis Jura voluerunt.* Quod in aurea Bulla confirmatur. Requiritur tamen actus externus, v.g. emptio veneni; est non porrecti: tractatus de nec Principis cum alio inritus.

Et hæc sunt postrema singularia, ultra illa quæ supra in præcedentibus quæstis expostita sunt. Et quamvis aliqua non possint Jure scripto probari, quia tamen committuntur ab AA. assignantur, cogitandum est, esse consuetudine recepta. Et hæc de Crimine læsæ Majestatis.

## Moneta Falsatio.

DE hoc crimine actum est præced. titulo, quia est crimen læsæ Majestatis.



## Pacis publicæ Violatio.

## SUMMARIUM.

**Q**uæ pœna sit fractæ pacis publicæ. 482.  
Quæ requirantur, ut Pax fracta dicatur. 483.  
In quo differat vis publica à privata. eod.  
An Constitutio Imperialis etiam ad privatos pertineat. 484.

An ad incurrendas pœnas requiratur actualis illatio damni. eod.  
An ex Const. Imp. possint puniri effringentes, & expugnantes aedes privatas. 485.

Pœnas quem sit declarare, aliquem in Bannum Imperiale incidisse. 486.

Quomodo Constitutio ratione Banni posse habere locum in Ecclesiasticis. 487.

Quâ ratione possint feminæ incidere in bannum Imperiale. 488.

**P**RO conservanda publica pace in Imperio, plures Imperatores, consentientibus Statibus & Ordinibus Imperii, Constitutiones promulgârunt, præsertim Carolus V. VVortmæ Anno 1521. quam refert Gilhusius c. 2. tit. 9.

Pœna fractæ Pacis publicæ est Proscriptio, seu Bannum Imperiale, vi cuius ab omnibus impunè offendi possunt tam in corpore, quàm in bonis: & Rei deprehensi cum vita omnia bona amittunt post sententiam declaratoriam.

Præter pœnam Banni etiam aliis pœnis subiectus est, qui pacem publicam violat, nempe illis omnibus, quæ vim publicam facienti in Digestis & Codice constitutæ sunt, de quibus infra. tit. *Vis publica & privata.* ratio est, quia omnis violatio pacis publicæ est etiam vis publica, ut mox patebit ex requisitis ad violationem pacis publicæ, licet non e contra omnis vis publica sit violatio pacis publicæ, ut ex dicendis patebit. Insuper in Constit. pacis publicæ puniuntur fractores pacis 200. Marc. puri auri, & amissione privilegiorum ab Imperatore concessorum. Actori etiam permittitur electio, ut vel omnes pœnas conjunctim vel divisiim petat. inter quas etiam numeratur pœna gladii. l. fin. §. 1. ff. de re militari. Miles turbator pacis capite punitur, quod etiam habetur in Ord. Crimin. a. 128.

**483.** Queritur ergo I. Quam requirantur ad hoc, ut Pax fracta dicatur, & dictis pœnis locus sit. 2. Tria requiri. Primum, ut interveniat vis armata: armorum autem appel-

latione venit, quidquid instrumentorum ad nocendum & sternendum idoneum ab extrinseco assumitur, adeoque etiam fustes, lapides &c. ut habetur l. 3. §. 2. alibi relato. ff. de vi & vi armata. Secundò, requiritur, ut sit vis major, & cui vix aut difficulter resisti possit, quæque coadunatis pluribus hominibus intentatur. & hæc dicitur *Vis publica armata*, quia in hoc differt vis publica à privata, quia usu armorum privatis hominibus interdictum erat, ut infra dicitur. Quot autem personæ esse debeant, relinquunt arbitrio Judicis, & Camera. Tertio, requiritur Dolus malus, hoc est, ut vis publica proficiscatur ex vero dolo seu malitia, ex estimata nocendi voluntate, præcedente tractatu, & communi consilio. Quia verò dolus malus in animo residet, cujus arcana immediate sub sensu non cadunt, sufficit adesse talia indicia, ex quibus dolus præsumi possit, ut in eadem constitutione dicitur.

**484.** Queritur II. An dicta Constitutio non solum ad Principes & Status Imperii pertineat, sed etiam ad privatos homines. 2. Affirmativè, quia lex est generalis, nec delictum est minus in privatis personis se coadunantibus ad vim alteri communitati inferendam armis, quàm si fiat à Principe vel Statu.

Queritur III. An ad incurrendas pœnas fractæ pacis requiratur actualis damnum illatum esse. 2. Negativè, satis est intervenisse vim & invasionem, per hanc enim delictum quoad sua tria requisita consumatur. Imò delictum pronuntiarunt & ad pœnam gladii condemnarunt ob solam præstolationem in occulto loco ad invadendum ex conducto.

**485.** Queritur IV. An ex Constitutione allegata possint pœnâ fractæ pacis puniri, qui privatas aedes effringunt, & expugnant, seu spoliant. 2. Affirmativè, dummodo intervenierint arma, & coadunatio requisita. Quamvis putet Carpovius, Judicem officio suo facturum satis, si talem præcisè ut prædonem pœnâ gladii puniat, & cadaver Rotæ imponat. Quod admiserim, si fortè in probandis requisitis aliqua difficultas esset, alioquin crederem, debere punire secundum proportionem totius delicti, & secundum Jura pœnam exasperare, ne aliquis delicti gradus maneant impunius, nam sicut ad Judicis officium spectat, non relinquere delicta impunita, ita etiam, non relinquere qualitatem, speciem, aut gradum delicti impunitum, nisi Princeps gratiam faciat.

Huc pertinent, qui adunati armisque adhibitis carceres effringunt, & incarceratos liberant. Nam etsi tales nullam personam lædant, possessionem tamen Reipublicæ impugnant; nam crimen fractæ pacis publicæ non solum in perso-

nam

## De Delictorum Speciebus, eorumque Pœnis.

nam aut corpus alicujus, sed etiam adversus eundem bona & possessionem committitur, ut constat ex toto tit. ff. de vi publ.

**486.** Queritur V. Penes quem sit potestas declarandi, aliquem in pœnam Banni Imperialis incidisse. Communior est sententia, solum Imperatorem id posse, ut videre est apud Gail. lib. 1. de Pace publ. c. 6. n. 8. & seqq. Nihilominus Carpovius conatur ostendere q. 26. hoc etiam competere Statibus Imperii, licet sententiam in alieno territorio exequi non possint. Sed quia ad meum intentum hoc parum facit, remitto lectorem ad citatum Authorem, ubi rationem in utramque partem legere potest. Et quidquid sit de rationibus, consuetudo est attendenda & observanda.

**487.** Queritur VI. Quomodo, & quomodo Constitutio Imperialis Pacis publicæ quoad pœnam Banni in Ecclesiasticis personis effectum habere possit. Respondet Gilhusius ex Andrea Gail lib. 1. n. 12. & seqq. quoad illas personas, quæ ratione dignitatis Regalium & Feudorum Imperialium immediate Cæsari & Imperio subiectæ sunt, si hujusmodi Ecclesiasticus Status per se vel per suos pacem publicam manu militari perturbet, citatio super fracta pace in Camera contra eum rectè decretur, & probato delicto condemnatur. Melioris autem in hoc puncto conditionis sunt, quàm Sæculares. Nam Ecclesiastici solummodo Regalibus & Privilegiis Imperii, sententiâ declaratoriâ in ipso Consistorio, Judice pro tribunali sedente privantur. Sæculares verò publice sub dio ordinariam banni pœnam sustinere coguntur. Ratio differentie est, quia Imperator ob delictum non habet Jurisdictionem in Personis Ecclesiasticas, nisi ratione Regalium & Beneficiorum sæcularium, ut suo loco dictum est: nec plus illis adimere potest, quàm dedit. Quoad Personas verò Ecclesiasticas privatas vel inferioris ordinis, & non nisi mediâ Imperio subiectas. 2. Si contra pacem publicam deliquerint, coram suo Ordinario Judice Ecclesiastico conveniri debent, probatoque delicto ab eo puniri, sive per suspensionem ab Officio & Beneficio, sive etiam per depositionem vel degradationem, pro gravitate delicti, prout in ipsa Constitutione disponitur conformiter Juri communi.

**488.** Queritur VI. Quâ ratione possint feminæ incidere in bannum Imperiale. 2. Si vim publicam per suos præfectos alteri inferri mandaverint, aut contra placita pacis publicæ bannitos Imperii recto vel hospitio receperint, aut mandatis Cæsaris executorialibus obstinatè non paruerint, in bannum declarantur, salvo tamen eorum pudore & verecundiâ, & instar personarum Ecclesiasticarum omnibus Benefici-

is, bonis, ac privilegiis Juris communis & municipalis privantur. Gail. loco cit. n. 34. Plura circa Constitutionem Pacis publicæ videri possunt apud Gilhusium, qui eam totam perpendit.

## Parricidium.

## SUMMARIUM.

**D**efinitio Parricidii. 489.  
Quam in Jure constituta sit pœna Parricidii. 490.  
An pœna l. 9. ff. ad L. Pomp. de parricid. hodie sit in usu. 491.

Quæ pœnarum diversitas observanda sit pro diversitate conjunctionis. & imprimis de occidentibus aliquem ex ascendentibus, item vitricum, novercam, socerum, socram. 492. & seqq.

Deinde de occidentibus aliquem ex descendantibus. 493. & seqq.

Quæ pœnâ afficienda mater, exponens vel abiciens prolem natam. 496.

Quam sit pœna Coniugidii. 497. & seqq.

Quæ pœnâ occidentium consanguineos laterales. 499.

Quomodo puniendus, qui parricidium commisit præter directam intentionem. 500.

Primus hujus delicti casus, quando ex actu dolo prævideri potuit occisio sentur. 501.

Secundus casus, quando ex illicito actu per incircumspectionem & stultitiam seu imprudentiam sequitur. 502.

Tertio, quando ex culpa levi. 503.

An in Parricidii delicto puniendo debeat constare de corpore delicti. 504.

An confici crimini committendi qui non manifestant, sint puniendi pœnâ ordinariâ. 505.

An in hoc delicto puniatur conatus, absque effectu. 506. & seqq.

An ab ordinariâ pœna excuset iracundiâ vehemens. 510.

An item, qui præter intentionem, volens alium occidere, occidit patrem &c. 511.

Quid sit ante ipsam mortem delinquens pœniteat, & desistat, sed nimis serò. 512.

An mixta pœna ob defectum ætatis majoris. 513.

An ab ordinariâ pœna recedendum, si silius v. g. iussu matris occidat infantem suum. 514.

Item, si puella occidat infantem suum. 515.

An excuset Ebrietas vel Melancholia remissivè eod.

**489.** AD Parricidium revocantur quadam habentia ceteroquin speciale nomen, ut Infanticidium, Uxoridicium, Maricidium, Quæ